



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Index Capitvm Secvndae Partis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

I N D E X C A P I T V M
S E C V N D Æ P A R T I S .

- | | |
|---|---|
| CAP. I. De vita & honestate Clericorum. | CAP. XII. De Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Altaribus, Hospitalibus, Sodalitatibus, seu Fraternitatibus, & aliis piis locis. |
| CAP. II. De Concubinato. | CAP. XIII. De rebus Ecclesiæ conservandis & non alienandis. |
| CAP. III. De Simonia. | CAP. XIV. De Provisoriis Templorum & Fabricæ. |
| CAP. IV. De Usuris. | CAP. XV. De Immunitate Ecclesiastica. |
| CAP. V. De Beneficiis, eorum Collationibus, seu jure Patronatus, Institutionibus, Resignationibus, & Permutationibus. | CAP. XVI. De Archivio Episcopali. |
| CAP. VI. De Residentia Clericorum. | CAP. XVII. De Examinatoribus. |
| CAP. VII. De Prælatiis & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatarum. | CAP. XVIII. Indices delegatos causarum Apostolicarum nominamus. |
| CAP. VIII. De Archidiaconis. | CAP. XIX. De Censore Librorum. |
| CAP. IX. De Decanis Ruralibus. | CAP. XX. De Penitentiario. |
| CAP. X. De Parochis & Curatis. | |
| CAP. XI. De Testamentis Clericorum. | |

P A R S S E C V N D A .

CAP. I. De vita & honestate Clericorum.



Nil fere est, quod hoc sæculo tam sit exoptandum, quam ut ii, qui, in sortem Dei vocati, divina munera dispenfant, ac ministeriis Ecclesiasticis præficiuntur, vita & exemplo id præstent, quod Profes-

sione, statu, ac vocatione sua promittunt; ut in eos, tanquam in speculum, oculos suos conjicientes Laici, invenire possint, quod digne imitentur. hoc enim omnibus fere sæculis compertum fuit, pro Sacerdotum vita, benedictionem aut maledictionem à Deo in populum procedere, nec quicquam gravius Ecclesiæ aut Reip. accidere, aut illam vehementius affligere, quam si à Clericis Laici bonæ vitæ incitamenta & exempla petere non possint.

Quod gravissime olim deploravit S. Gregorius, & nos ipsius verbis repetimus: *Nullum, puto, Fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam à Sacerdotibus, tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui conpevere peccata debemus, nulla animarum lucra quarimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus; & quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda qualibet majorem licen-*

tiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum, Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.

2 Hinc Nos, serio, ac sub obtestatione divini Iudicii, monemus omnes & singulos, ut, quo sunt in Ecclesia Dei digniore Loco & Ordine, eo vitam gerant inculpatiorem, statumque suum vitæ innocentia ac morum gravitate diligenter exornent.

3 Cum vero summa disciplinæ Christianæ in eo consistat, ut, abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie, pie, juste, vivamus in hoc sæculo; idque ad omnes universim Christianos pertineat; intelligunt facile Ecclesiastici qui cæteris in exemplum positi sunt, quid ad ipsos spectet, qua illos morum gravitate in sermone, gestu, incessu, quo in cultu & vestitu corporis moderatione & decentia, qua vitæ sanctioris innocentia, illos cæteris præstare oporteat. De quibus cum multa sparsim per SS. Canones, Concilium Tridentinum, Statuta Provincialia, & Nostræ Prædecessoris Constitutiones Synodales tradita sint, illud Nos breviter hoc loco repetendum ducimus, quod de Clericali tonsura, deque vestitu, & victu frugali, in præcedenti Synodo Osnaburgensi statutum est; quibus Nos adjicimus, ut ne quispiam Clericorum posthac rugatis, acupictis, & nimium elaboratis collaribus utatur, sed planis, ac quæ commode & decenter super vestem reflecti possint.

D 4 Veste

Matth. 5.
à v. 13.
Ad Tit. 2.
vers. 7. c.
qualiter.
De accusat. homil.
in c. 10.
Luca.

Ad Tit. 2.
vers. 12.

c. 10.